IN FVNERE
FRANCISCI
VINDOCINENSIS
DVCIS BELFORTII
PRINCIPIS MARTIGVESII
GALLICARVM CLASSIVM
MAGNI THALASSIARCHÆ
ET IN CRETICA EXPEDITIONE
DVCIS PONTIFICII
GENERALIS.
ORATIO
HABITA
AD S. R. E. CARDINALES
In Templo Virginis Capitolinæ.

HANNIBAL ADAMI FIRMANVS E SOC. IESV.

Dicebat An. Dom. CIↃ.IↃC.LXIX.

ROMAE, Typis Nicolai Angeli Tinassij M.DC.LXIX.
SVPERIORVM PERMISSV.



ORATIO.



TRATVS hic Templi celeberrimi ſquallor, triſtis hæc parietum nigricantium facies, faces iſtæ multiplices pallido lumine lucentes, ne dicam, an lugentes, ſepulchralis hæc, & magiſterio mortis elaborata Pyramis, mæſta hæc Principum Purpuratorum maieſtas, tota hæc Capitolij moles ad horrorem ſimul, & mœrorem compoſita, tam fædà tempeſtate cogitationem meam perturbant, & diſtrahunt, vt, animo trepidante, ſilere potius cogar, quàm eloqui, & plorare potiùs, quàm perorare. Scilicet, vbi magnus dominatur dolor, non aptior alia videtur eloquentia, quàm vel ſilentij, vel lachrymarum. Ita ne igitur à ve-

teri Romà, tam dissimili morum interuallo, noua Roma discordat, vt idem Capitolium, quod antiquis Ducibus clarissimos triumphos ornabat, Heroibus nostris luctuosum funus aperiat, & pro triumphalibus arcubus, palmis & adoreis redimitis, Pyramidas emortuales attollat, non alià cingendas fronde, quàm cupressu? Ita ne populorum plausus publicos vertuntur in luctus, in funebre lessum pæana festiuum, in lugubria purpuræ, currus in pheretrum, Capitolium in sepulchrum? Magnifica quidem pompa hæc est, & Romanà Majestate dignissima, sed ad imperium doloris, ad extincti solatium, ad ludibrium mortalitatis erigitur! Parce dolori nostro, dùm parcimus fortitudini Tuæ, Princeps Bellicosissime, & Christiani nominis Propugnator Inuicte FRANCISCE VINDOCINENSIS Dux Belfortij. Funerea hæc in Capitolio pompa, nostro accommodata dolori est, Tuoque simul opportuna triumpho. Quantò libentiùs suo Te sinu Roma, reducem è bello victorem triumphantem excepisset, & palmis suis Lilia Tua coronans, de subacto Turcà, Cretáque vindicatà Te Creticum, & Turcicum populorum plausibus appellasset! Nunc quandò, sic placi-

tum

tum Superis, vt BELFORTIVM suum Tua Roma non videat, Romæ lacrymas excipe, doloris imperio, Te cadente, cadentes. Æquum enim est, vt illi lacrymas suas debeat Roma, qui Romæ suum sanguinem dedit. Nulla profectò iustiora sunt iusta, quàm quæ BELFORTIO Duci soluuntur: Duces enim alij, non tam sanguine quàm virtute Romani, (quorum honori hoc idem Templum aliàs parentauit), pro patrià pugnare docuere, non mori: BELFORTIVS, licèt exterus, pro Romà pugnat, & moritur. Quid ni igitur, qui mortem mortuus vicit, mortuus pariter triumphet in funere, suæque gloriæ mortem videat in erectà Pyramide famulantem? Nouum quidem triumphi genus hoc est, sed nouum pariter, vt quis triumphet extinctus: Nullus in huiusmodi triumpho ambitioni, & superbiæ locus est: totus Virtuti debetur, totus datur Pietati. Triumphat in Capitolio BELFORTIVS, quià Fortis: Triumphat in Templo, quià Pius. Sic decet Christianos Heroas triumphare, vt in ipsis cum Capitolio Cœlum, & cum Heroicà Fortitudine Pietas Christiana triumphet.

Imbellis aliquibus virtus Pietas est, nec digna, quæ licèt

dota-

dotata Deo, bellicosis animis desponsetur. Aris illa non Castris inseruiat, & si Martis Aula bellum est, ab hac pariter *exeat aulà, qui vult esse Pius*. Mendacissimè dictum; si namque Christianæ vitæ fundamentum Pietas est, an sine Pietate stare possit Christiana militia? Sanè, si belli fructus victoria est, hæc quidem Iosuë vires poscit, vt pugnet, sed Moysis etiam preces, vt oret. Ad Imperium Romanum viam fecit Constantino victoria, sed in Signo Crucis, & pietatis auspicio impetrauit, vt per aggerata Principum cæsorum cadauera Cæsarum Dux, & Ducum Cæsar euaserit. Quàm benè, Dux Præstantissime BELFORTI, Tibi ista conueniunt, quem non tam piissimæ matris amor, quàm Pietatis studium in Regià familià educauit! Religionem vnà cum lacte Lotharinga Tibi Parens infudit, & candidam lactis instar, ad extrema confinia vitæ seruasti. Suo ipsum de nomine FRANCISCVM nobilissima genitrix dixit, vt suà referret in pietate, quam suo ferebat in sanguine, & exprimebat in nomine. Hinc diurnæ Deo litatæ preces, obsequentissimus Deiparæ Virgini cultus exhibitus, eximius templis redditus honor, singulares ergà Parentes obseruantia, latens in pauperibus Deus

ero-

erogatis opibus honoratus, inuicta in aduersis æquanimitas, Diuino Sacrificio quotidiana frequentia tam religiosè custodita, vt, cùm semel in Atrebatensi obsidione ad extremum meridiem bellico labore distractus, audiendi Sacri nullam in castris facultatem haberet, citatissimis equis trium leucarum viam, Sole exæstuante torridam, auidissimè deuorauerit, vt consuetum fidei vectigal Deo persoluens, nullam diem transigeret absque lineà Pietatis. Diem illam ipse perdidisse crediderat, cuius particulam, in audiendo sacro, Deo non daret. O celeritatem non ferreis calcaribus auctam, sed aureis stimulis Charitatis! Cursor egregius BELFORTIVS non aliam sui cursus sibi statuit metam, quàm Templum, suam ibi palmam habiturus in Deo. Quin, vt in Regià classe suæ præfecturæ commissà, ad militum, nautarumque Religionem fouendam, plurima esset Sacrorum frequentia, plurimos ille auro suo Sacros administros alebat: nouerat enim, non alio sydere tutiùs classem regi posse, quàm Deo. Timendum illi mare non est, qui fœderatum habet Cœlum, Deumque pro Cynosura sortitur? An perire, vel periclitari vllatenus possint ea nauigia, quæ

fre-

frequentiſſimâ ſuâ præſentiâ conſecrat Euchariſticus Deus, ventorum dominus, & arbiter tempeſtatum? Hanc ille ſacram anchoram in ſæuientium procellarum pericula adhibebat, eiuſque patrocinio ſuam ille incolumitatem vertit, cùm in Luſitaniam, Regiam ducturus Sponſam, neptem ſuam, fœdiſſimâ tempeſtate implicatus, & per immenſa Oceani ſpatia impetu decumano iactatus, Principem fœminam, & Regiam claſſem ad extrema ferè diſcrimina ſpectauit adduci: cùm omnia ferè elementa in eius interitum conſpirarent, & pro thalamo Regiæ Sponſæ in Vrbe Regiâ deſtinato, tumulum illi fluctus aperirent in mari, vna illi ſpes è myſterijs ſacris affulſit, quorum vi, vim procellarum domitam ſenſit, & vndarum ferociam vidit redditâ ſerenitate compreſſam. Quid ergò ventorum furias, & Oceani rabiem nauta formidas? minentur ſcopuli, lateant ſyrtes, breuia inſidientur, fluctus inſaniant, vortices, & euripi ferociant; ſecura tibi res eſt; non fortunam Cæſaris vehis, at in Cæſaris filio BELFORTII Pietatem. Magna eſt concordia maris, & Cæli: quos Cælum ſeruat, & qui Cælo ſeruiunt, nec vexat mare, nec vorat. Qua in re illud

etiam

etiam maximè commendandum, quòd ab eius classe, sanctarum vi legum, ea licentia militaris exulauerit, quæ plerumque nobilissimum militiæ nomen per summum dedecus deturpatur. Furta, blasphœmias, rixas, ebrietates, libidines, aliaque huiusmodi monstra, quibus Martialis iniquitas scatet, tanquàm in publicos bellicæ disciplinæ hostes bellum indixit, eóquè validiùs, & seueriùs eos oppugnabat, quò perniciosiores essent, & bellico nomini, & legis Christianæ candori. Quorsum enim pyratas extinguere, si vitia recipiantur in classe? quorsum maria prædonum classibus expurgare, & classes ipsas effrænatis moribus fœdandas permittere? Quid igitur mirum, si fœlicissimis plerumque nauigationibus maria ipse cuncta lustrauerit, & relatis frequenter victorijs Gallicas expeditiones illustrauerit? Qui pietate pugnat, non terras tantùm, sed ipsum Cælum expugnat. E mari terra nos vocat fidem nobis factura BELFORTIÆ pietatis. Vtrobique militari proteruiæ bellum BELFORTIVS indixit, & vitiosam detestatus audaciam, testatus abundè omnibus fuit, se in mediâ belli licentiâ soli virtuti seruire, & bellicum Herculem non fouere monstra, sed perdere.

dere. Quàm frequens inter acies impudicitia vagatur, & ferreas ipſas bellatorum loricas teterrimo ſuo veneno peruadit? Hanc tamen BELFORTIVS Hydram Lernæà, nequiorem aſpectu fugauit, extinxit imperio; Cum enim in Pariſienſi ſeditione, ſceleſtiſſima militum aliquorum væſania virginis cuiuſdam pudicitiam ad extremum vſque diſcrimen adduxiſſet, ne diſcrimen verteretur in crimen, nobiles aliquot è ſuà familià viros illùc vnà cum ſuo curru BELFORTIVS expediuit, vt eorum audacià ſui nominis authoritate compreſsà, laborantem puellam ſeruarent, ſeruatamque curru ſuo imponerent, honeſto loco tradendam. O' Principem non ſaluti tantum, ſed populorum virtuti beneficum! Quantò plures numeraret Pudicitia victorias, ſi plures BELFORTIOS ſortiretur, ſuis adiutores in pugnis, ſuis in periculis ſeruatores? Principe curru vecta, pluribus hinc inde vallata famulis, per vias Pariſienſes incedebat virgo caſtiſſima, & de ſuperato diſcrimine, vnà cum ipſà ſuum agere triumphum victrix Pudicitia videbatur. Vultus quidem venuſtate formoſa, ſed cordis honeſtate formoſior, BELFORTIVM Ducem, ſuum illa Martem prædicabat, nouo ſed vero

prodi-

prodigio non Veneri, ſed Virgini militantem. Quàm igitur meritò triumphantem de militari licentià virginem depiĉta in curru BELFORTIO Aurea Lilia coronabant? Si autem, de Seruato Ciue, coronam Ciuicam dandam Seruatori ſtatuere Romani, de ſeruatà pudicitià, quis neget BELFORTIO Duci coronam? ſuis certè Lilijs ſibi ipſi coronam impoſuit, qualibet laureà clariorem. Aurea hæc Lilia fuiſſe ſatis virgo teſtatur; nec enim eam tantummodò BELFORTIVS ſeruauit, ſed pronubà pietate dotauit, & ditauit. Quingentis enim illi aureis erogatis, periculum in beneficium vertit, & alienum vitium ſuæ fecit incrementum virtutis. Aurum de violatà Danaë reum pijſſimo ipſe dotatæ virginis beneficio conſecrauit. Quis crederet, cordi bellicà fortitudine ferreo, auream iungi liberalitatis operà manum? Ea profectò pia liberalitas in BELFORTIO fuit, vt eius ſtipendio aliena paupertas viueret, & ampliſſimi patrimonij partem, vectigalem ſibi pauperes fecerint. In pauperum inopiam, velut in ciuilem hoſtem aſſurgens aureis armis vtebatur, quibus, innocenti victorià, dum pauperes alebat, paupertatem necabat: Aurum fundebat, vt hoſtem

 funde-

funderet, vtque ærumnis obſeſſos liberaret, aſſiduis eos muneribus obſidebat. Quis Magiſtrum charitatis quæreret in Magiſtro militiæ? ſanguinis ſcilicet per vulnera bellica prodigus, ſibi aurum ſeruare neſciebat, & in hoc fundendo eò illuſtrior erat, quò, non per vulnera violenter inflicta, ſed illud ſua ſponte ad aliorum beatitatem deriuaret.

Aurea quidem hactenus dicta quis neget? alia tamen longè pretioſiora ſuperſunt, quibus veluti margaritis & gemmis BELFORTIA Pietas coronetur. Præ cæteris ille me rapit Chriſtianæ Religionis ardor ſanctiſſimus, quo, vel ad iugulandam Hæreſim, vel ad Mauros, Turcaſque delendos ferrum acuere geſtiebat. Scilicet eam tantùm Chriſtiano, & Gallico Duce dignam palmam vocabat, quæ vel Hæretico, vel Turcico cruore rubeſceret. Eo ſe natum ſanguine nouerat, qui Chriſto dicatus, Chriſtianiſſimos Reges facit, & Gallica Lilia Regales pingit in Roſas pulchro vulnere purpuratas. Hinc non abſque Dei conſilio factum crediderim, vt qui militarem vitam in Priuatienſes Hæreticos puer adhuc incœpit, eandem in Turcas iam maturus abſoluerit. Vtrobique ſui

ſan-

ſanguinis prodigus pro Religione Gallicum pectus erudiuit ad vulnera : ſed ibi de victorià partà felicior, hìc de ſublatà morte ſplendidior : Dixeris, priuatas illas in Hæreticos Priuatienſes pugnas, rudimenta quædam Pietatis fuiſſe, in publicum hoſtem pugnantem BELFORTIVM facere meditantis. Profectò, cùm magnus Gallicarum claſſium Thalaſſiarcha renunciaretur à LVDOVICO Rege, hac tantum ratione, de clariſſimo totius Regni munere gratulari ſe dixit, quòd nempè Regis ſimul, & Religionis hoſtes daretur aggredi, & Marte maritimo Chriſtianæ fidei militare. Militauit ſanè: Africanas oras perenni excurſione fatigans, maria latrocinijs infamia, ſui famà nominis purgans, millena Chriſtiana capita Mauricæ ſeruitutis iugo ſubducens, vires barbarorum frangens, & vbique Tunetanum ſydus obſcurans. Veſtram hìc ego fidem obteſtor, vtriuſque Africæ littora, Oceani Atlantici ſpatia, Maris Herculei fauces, Liguſticæ, Tyrrenæ, Gallicæ, Luſitanæ, Melitenſes oræ. Quis maria veſtra pyraticis agreſsionibus vindicauit? Quis effrænatam barbarorum audaciam ſalutari terrore coërcuit? Quis veſtra commercia ad populorum delicias, & felicitatem adduxit? Quot il-

le la-

le laborioſas noctes duxit in mari, vt vos placidas dies ageretis in portu? quot ille tempeſtates exhauſit impauidus, vt vos tranquilla otia degeretis?

Alia tamen ſtudio Religionis, & longè maiora Tibi facienda ſuperſunt, Dux Nobiliſsime. Anguſta nimis Tuæ ſunt maria Africana virtuti. Aſiaticum mare Te vocat, & non tàm mari, quàm bello fluctuans Creta. Quàm pretioſa Creta hæc eſt, pro qua tàm cruento Marte pugnatur! Perditiſsimus Helluo regnorum, illam iàm ſpe deuoratam efferato dente diſcerpit, vt in fruſta diſſectam, integram ſuæ crudelitati prædam efficiat. Tuùm eſt, Romanæ Fidei Cretam ſeruare, quam nequiſsimus Tyrannus ſuæ vult ſeruire perfidiæ. Tuùm eſt, Cypriam, Rhodiámque iacturam Creticà victorià compenſare, dolentis Italiæ ſolari ſuſpiria, trepidæque Europæ ſecuritati conſulere. In claſſe, quam ducis, non tam Pontificiam, & Regiam gloriam, quàm fortunam vehis Europæ, & nutantis Cretæ ſalutem. Habes hìc Aureum vellus acquirendum Francicus Argonauta, habes hìc Andromedam catenis obſidionis ſoluendam miſſus à Deo Theſeus, hìc Hydram obſtinato ſempèr capite ſuccreſcentem Gallicus

Her-

Hercules. Hìc habes Troiam Hector, Romam Horatius, Belgradum Hunniades, Melitam Valletta, &c, vt omnium famam Tu ſolus æquas, ſic omnium fortunam, & virtutem Tibi ſuperandam optamus. Vocanti Aſiæ paratiſsimus reſpondet BELFORTIVS, & pijſsimis epiſtolis ad Romanum PONTIFICEM ad Gallicum Regem, ad Principes, tùm exteros, tùm domeſticos ſuam animi voluptatem aperit, qua Religioni Romanæ, & nomini Pontificio vires ſuas omnes, labores ſuos, ſanguinem, ſpiritum immolauit. Quin, vt pugnacis animi genium pleniùs ſatiaret, & belligeri ſanguinis æſtus, mortem pro Religione affectantis, aliquandò compeſceret, repetitis, & validiſsimis precibus à Rege facultatem extorſit, quà claſſis imperio relicto, excendere etiàm ipſi liceret in terras, vbi Turcam mari timidum, ſed terrà timendum daretur aggredi, & ſtricto Marte pugnare. Renuit primò Rex Sapientiſſimus, vtpotè qui, cum Præſtantiſſimum alium Ducem ſuo terreſtri militi præfeciſſet, à re maritimà BELFORTIVM nolebat auertere, tantoque apparatu inſtructam Claſſem, viduam tanto Duce relinquere, cui par non eſſet in Gallia, qui Gallicum illuſtraret

Im-

Imperium. Quantus enim victoriæ campus BELFORTIÆ virtuti pateret in Mari, ex quo recens quotidie commeatus, & miles in castra Turcica ferebatur? Quàm facilè Christianis nauigijs tàm multo ære tonantibus Thraciæ triremes cederent, suo vili milite non ad pugnam validæ, sed ad fugam. Si ergò sua Classe mari BELFORTIVS, Nauallius terrà suo milite fatigasset hostem, quàm aptè vtrinque obsessus obsessor victoriæ locum daret, & obstinatum tot annis Martem indecorà fugà relinqueret. Sed hæc meditantem Regem vicit tandèm BELFORTII militaris ardor, & facilè se vinci Rex humanissimus passus est, nè tantum gloriæ iubar Duci suo videretur eripere. Quæ gloria BELFORTII est, vt suarum precum potentià tot victorijs illustrem vicerit Regem? Adhuc tamèn incertum, quis gloriosior fuit, an Dux vt facultatem posceret, an Rex vt daret; dedit: sed dubià crediderim manu subnotasse BELFORTII preces, eò quod in nigrà characterum facie eam mortis imaginem adumbratam inspiceret, quæ Turcicæ perfidiæ fœderata, Principem fortissimum familiæ, Classi, Regno, Regi, Pontifici, & quod acerbissimum dictu est, ipsi Victoriæ erat sub-

latu-

latura . Haud tamèn de Tuà facilitate in permittendà BELFORTIO terreſtri pugnà Te pœniteat Rex Generoſiſſime ! Semen eſt ſanguis bellatorum , quod dum perire videtur in vno , cum fœnore refloreſcit in multis; Vulnera, dùm fortes perimunt , alios pariunt, & Gallica Lilia non lacrymis ſeruntur , at ſanguine. Vnum pro Chriſtiana Religione pugnantem amiſiſti BELFORTIVM, plures ipſa reddet BELFORTIOS , Tuo fortiores exemplo, Tuis fæliciores auſpicijs. Nunc quando BELFORTIÆ pietati factum eſt ſatis, buccinis, & lituis conclametur ad arma : ſoluat Pontificia claſſis è portu , & vela ventis implentibus publica deſideria impleantur . O quæ dies fuit illa , cùm Tolonenſi ſoluturus è portu, poſt totius anteactæ vitæ noxas ſacrà confeſſione expiatas, Diuinoque Conuiuio animum recreatum, in Prætorio nauigio Vexillum explicauit , quod Pontificia benedictione ſacratum, Diuorum Petri, Paulíque depictum imagine, Dei patrocinia colorabat. Ad tubarum ſonitum, & tormentorum vndique reboantium fragorem , ad Vexillorum pompam, & tympanorum murmur, ad militum clamores, & nautarum celeuſma, quædam triumphi ſpecies arridebat.

bat, Primus omnium genu BELFORTIVS flexo, manibúsque in formam Crucis explicatis, dulcissimis illam lacrymis irroratus adorans, classem suam Petri Nauiculæ regendam, & Pauli gladio militem suum seruandum commendauit. Mendaci Castore, & Polluce rejectis, in duobus Apostolis, auspicatissima duo Sydera veneratus, faustissima sibi omnia pollicebatur. Quid enim fælicitatis è Cæli ærario non habeat, qui aureas Petri Claues sortiatur sibi propitias? Quid mali ex hoste formidet, cuius securitati ferreus Pauli Ensis euigilet? Suomet experimento probabit Turcicus Attila, Pauli gladio Tyrannorum arma retundi, & Petri clauibus fulminum armamentaria aperiri, in Gigantum audaciam euoluenda. Tum lætissimè assurgens, Eamus, inquit, Christo Duce & Auspice, eamus; Creta nos vocat, Christo Duci nostro seruanda. Coram vulnerato, & mortuo Duce, quis renuat vulnerari? quis mori? Quis pugnare ibi recuset, vbi mors ipsa victoria est, & triumpho quouis illustrior? Hinc demùm, quatuor millibus aureorum, ad pauperum subsidium erogatis, Cardinalem Vindocinensem Germanum sibi charissimum extremis amplexibus & osculis donans (& verè fuerunt extrema) Purpura

hæc,

hæc, inquit, Tua sit, ô Frater, mea Purpura sanguis meus erit pro Religione fundendus. Pro Christi causà vel vincendum mihi, vel moriendum. Vel me Creta videbit extinctum, vel ad Te de vindicatà Cretà rediero gloriosus. Vtrumque factum: Creta illum vidit extinctum, & ad nos suo nomine rediit gloriosus. Quid enim gloriosius, quàm pro Religione mori, eiusque causam suis probare vulneribus? Quæ purpura viuacior, quàm quę suo sanguine tingitur pro Christi nomine consecrato? Quid optabilius, quàm vitam Heroicam Heroicà morte signare? non lactea, sed sanguinea via est, qua Christianis Heroibus patet iter ad Cælum. Dignus non erat hostis, qui tanto à Duce vinci mereretur, & quam ipse victoriam vocat, sui pœna dedecoris est. Fortunam suam moriens impleuit BELFORTIVS, & in sui sanguinis purpurà lætus ostendit, non vincendo quid posset, sed moriendo quid vellet.

Magnum, quòd ista dixerit BELFORTIVS vt Pius, maius, quòd fecerit, vt Fortis: facilè siquidem teneras sibi Rosas pietas colorat, quas posteà legere, præ spinarum aculeis manus exhorret. Animi pietati dexteræ fortitudo respondeat: Scilicet, vt absque Pietate, fortitudo ferocia est, sic

absque fortitudine Pietas Heroica esse non potest. Prærogatiua Principum est, fortes nasci, & ex ipsis Auorum cunis, ad aspera quæque, & cruenta Bellorum superanda, sanguinem ducere bellatorem. Ex adamantibus ille omnium probatur esse fortissimus, qui nascitur ex Auro. Quòd si creantur è fortibus fortes, & Genitorum virtuti natorum virtus pari fide respondet, quid de BELFORTII Duce dicendum nobis est, quem hinc Paternus sanguis Borbonius, illinc Maternus Lotharingus, duo videlicet heroicæ fortitudinis vbera, geminato fonte lactarunt? Sanguis vterque fortissimus; è Borbonio sanguine nascuntur Reges, nascitur Lotharingus è Regibus: maternus filium vrgebat ad pugnas, paternus vocabat ad palmas. Vtrinque Hectoras & Achilles ipse habebat, quos fortitudine suà imitandos exprimeret, eosque ità bellicosus expressit, vt, sicut in Cæsare multos inesse Marios aiebat Sylla, sic in vno BELFORTIO Duce, plures tùm Lotharingos, tùm Borbonios Duces latere, & lucere credideris. Sanguine tribus Regibus iunctus ab Henrico Magna facere didicit, à Ludouico Patre Iusta, à Ludouico Filio Fortia. Quantus igitur esset, qui tres tantos Reges in vno se ipso descripserit? An non fortissi-

tiſſimus ille futurus erat, qui Cæſarem ſortitus in Patrem fuit, & in Auum Henricum, Magnum titulo, maiorem fama, virtute ter maximum. Magnum ideò fortitudine ſuà ſe fecit Henricus, vt ſuos faceret Magnos, & in Nepotibus ſuis ſuam refloreſcere fortitudinem lætaretur. Hinc Principatus BELFORTII titulus à fortitudine illi donatus, vt ſciret, vel Principatum ſibi à fortitudine habendum, vel fortitudinem ipſam ſibi habendam pro Principatu. Habuit ſanè, & omnibus adeò ſpectandum illà ſe fecit, vt in florentiſſimo Regno, tantà Procerum, & Principum pompà clariſſimo, vnus videretur BELFORTIVS, quem populi certatìm ſequerentur, Nobiles ſuſpicerent, Principes honorarent, ipſique prudentiſſimi Reges Ludouicus Pater, & Filius illuſtri quadam beneuolentià vſque ad delicias diligerent. Quàm ſplendida fuerit ea virtus neceſſe eſt, quæ de duorum tàm illuſtrium Regum amore valuit triumphare! Quàm validus is fuit Magnes, quì fortiſſima duorum Corda Regum traxit ad ſe? Sed facilè diligimus, quos labore virtutis pares nobis agnoſcimus. Omnia Regia in BELFORTIO erant, Sanguis, aſpectus, animus, inceſſus, ſermo: Quid

ni igi-

ni igitur, qui tam perfectè Regius in omnibus erat, ſuis amaretur à Regibus; Regiumque amorem reciperet, qui Regias virtutes referret? Ludouicus certe Decimus Tertius Rupellæ domitor, & Hæreſis victor, vt extremum ſui ſpecimen amoris proximè moriturus oſtenderet Duci BELFORTIO, peramantèr eum alloquens, ſuos ei Regios Filios commendare non recuſauit, vt quos ipſe tot votis, & lachrymis à Deo impetratos Regno Chriſtianiſſimo dederat, ſuà illis, ætate non Dignitate paruulis, eà, quà par erat fidei virtute, & virtutis fide, ſeruiret. Ludouicus verò Quartus Decimus non tàm paternæ ditionis, quàm virtutis hæres, cùm ad Aſiæ, Africæque terrorem, ad Galliarum ſecuritatem, ad maris imperium, ad imperij incrementum claſſibus ſuis MAGNVM THALASSIARCHAM præficere meditaretur, in vno BELFORTIO ſpes ſuas, ſuæque maritimæ potentiæ vires collocauit. Diuiſere ſibi, in diligendo BELFORTIO, vices ſuas Reges Chriſtianiſsimi Ludouici Pater, & Filius; ille BELFORTII fidei cordis ſui delicias cõmendauit in Filijs, hic eiuſdem ingenio ſui vires Imperij commiſit in Claſſibus, ille dedit, vt filiorum ſeruaret Imperium, hic vt firmaret ſuum. Et profectò firmauit: firmauit

tan-

tantum? Illuſtrauit, extendit, coronauit. Hæc probaturi veſtris è ſtationibus accedite Africani latrones. Algeriani, Tripolitani, Tunetani Prædones, quid eſt, quòd turpiſſimo torpore correpti iacetis in Portu, exutiſque maritimo apparatu nauigijs, latebras trepidi quæritis nocturno veſtro ſyderi concolores? Excutite ſomnum, explicate vela, vires exerite: videtis, vt vobis tranquilla ſint maria, faueant ſydera; blandiantur venti, & mercibus ditiſſimis onuſta Chriſtiana nauigia, liberà ſecuritate vagantia, dum veſtros oculos implent, famem veſtram irritent? Silent, pallent, recedunt, & latebras quærunt, quibus indecores animas ſeruent, & metum indecorum abſcondant. Ad BELFORTII nomen, ad Gallica ipſius vela, vili terrore coërciti latent in portubus, & ea maria neſcire videntur, quæ prius inſolenti protetuià conciti latrocinijs, flammis, cædibuſq; ſparſerunt. Scilicet ineuitabilis illis clades, ſecura tēpeſtas, certumque in ipſa tranquillitate naufragium, vnus illis BELFORTIVS, eſt. Quocúmquè tamen recedatis furcà digni latrones, illic vos impetu ineluctabili BELFORTII virtus inueniet, & fulminis inſtar cineres veſtros quęſiturus inuadet; Meam dicendi celeritatē ſui operis celeritate pręceſſit BELFORTIVS,

TIVS, & in Bugienſi portu Gallicis flammis vorandam claſſem Turcicam tradit. Fluctuant in mari non vndæ, ſed flammæ & ad Gallica claſſica, coniuratis accedentibus ventis, in abſconditas pyratarum naues graſſatur incendium, & quæ annuo latrocinio ſpolia glomerarunt, vltrici flammà breuis hora diſperdit. O ſibimet ipſis aduerſas Naturæ vires? O conuulſas Elementorum ſedes? In libero mari fuga non patet: ſæuit in tranquillitate tempeſtas: regnat in portu naufragium: flammas vnda nutrit, & vndas cinis adurit. Prodigioſa hæc meritò videantur; at ſi BELFORTIO tribuas, prodigia eſſe ceſſabunt; Quid iam de tuo Pompeio fæliciſſimo Pyratarum victore, ſuperbias Roma? in BELFORTIO habet & Gallia Pompeiũ ſuum, ætate tantùm non virtute Romano minorem; hoc etiam Magno illo maior, quò melior: raptas ille pyratarum exuuias ſibi dabat, & ſuis, hic Deo: maria ille purgans priuatæ fortunæ ſeruiuit, hic Chriſtianæ felicitati: claſſibus ille ſuis ambitioni velificabat, hic Religioni: laborum vterque liberaliſsimus, ſed ille pecuniæ auarus hic gloriæ, titulos ille augere poſcebat, hic vulnera, Romani ille famam Imperij amplificauit, hic fidem. Quid tamen eſt, vt tamdiù cum pyratis immorer in mari,

cum

cum alia fortiſſimè à BELFORTIO geſta me vocent in terras. Neptunum in mari, Martem in terrà BELFORTIVM diceres, ſi fidem fabula faceret; verum illud eſt, non vno naturæ elemento BELFORTII fortitudinem capi potuiſſe. Quàm fortis, qui tertium decimum annum vix agens, ætatem virtute præcellens, viam militarem aggreſſus ad extremum vſque tertium ſuprà quinquageſimum in Gallia, Hollandia, Italia, terràque, maríque tam conſtanti, firmoque greſſu eam calcauerit, vt nec laboribus fractus, nec periculis territus, nec amore ſuorum, nec mortis vndíque occurſantis horrore diſtractus, numquam ab ea ſpontè deflexerit, omnium particeps certaminum, omnium pars victoriarum, & magna ſæpiùs Gallici exercitus pars, ipſe ſolus: in vallo miles, in prælio Ductor, in opere Architectus, nauarchus in mari, cuſtos in portu, idem ſub alterius imperio, ac ſuprà aliorum imperium; Alpes ille ſuis horridas niuibus nouit cum Hannibale ſuperare, ſed nullam nouit cum Hannibale Capuam, quæ ſuis eum delicijs ſuperaret. Perpetuum vel hoſti, vel otio bellum indicens illos tantum annos numerabat, qui fuiſſent militares, illoſque non menſibus, at prælijs dixtinguebat. Bellis bella

D con-

continuat, palmis palmas annectit & præteritorum immemor, non putat pugnasse nisi pugnet, non vicisse nisi vincat. Nulla ferè in eà ætate pugnarum, obsidionum, præliorum quotidie pullulantium fæcundissimà, nulla, inquam, Gallicis à Regibus instituta expeditio bellica fuit, quam Dux BELFORTIVS suà præsentià non honestaret, pugnacissimo ardore succenderet, labore, consilioque iuuaret, signaret sanguine, victorià coronaret. Ad leuissimum tubæ bellicæ sonitum, se tanti sanguinis esse Ducem oblitus, gregarius veluti miles, parendi magis cupidus, quàm imperandi, primus in castris, primus in vallo, primus in prælio, in hostem primus, primus in mortem, quam toties interritus terruit, & fugientem persequebatur inuictus. In Africà, & Europà, quas ipse non tam passibus, & classibus, quàm bellicis laboribus, & victorijs peragrauit, quis hoc de BELFORTIO, vel sine inuidiæ, vel inscitiæ notà negauerit? Sed quid ego hæc tam longinqua, & aliena commemorem? Vtinam primus etiam in hac Creticà pugnà non fuisses, Dux Generosissime, Tuæque vitæ Galliæ, Romæ, Mundo tam pretiosæ aliquatenus pepercisses! Si Cretæ salus, si Galliæ gloria, si Euro-

pæ victoria, si Turcarum excidium Tua viuit in vitâ, quorsum, Bellatorum Maxime, pectus, quod Mundi cor animat, nudare periculis? Te satis & maria & terræ Marcellum probabunt, & probarunt, indue nunc Fabium, eò magis victoriæ securum, quò magis à prælio alienum. Ex quo, Deo auspicante, causam Religionis suscepisti, scias; Te non tuum esse, sed nostrum: discrimina tua, tua vulnera, nostra sunt, & publicam fælicitatem cruentant, quæ priuatum tui nomen exornant. Satis consilio, satis imperio pugnas, & sola Tua præsentia quacumque est pugnâ validior; cùm enim timearis, vt Ductor, ameris vt Princeps, gemino stimulo miles adactus fortior erit pro Te, pugnando, quàm Tecum. Quin Te videre pugnantem distrahit illum à pugnâ; nam de BELFORTIO suo sollicitus, non intentus hosti, sed Tibi, victoriam suam saluti Tuæ postponens, non pugnabit, vt ipse vincat, sed vt Tu viuas. Si ergò periculosum Tibi, & militi, quid tam auidè festinans ad pugnam, omnium vota tuâ generositate præcurris? Sed quorsùm hæc? nullos pati potest limites Virtus, & claudi impotens viam sibi per inuia facit, in periculo victo suæ certa victoriæ. Deo ple-

nus ſe ipſum BELFORTIVS non capit, & ſua tantùm eſſe putat, quæ ſecùm nullus alius fecerit. Cæleſti flammà fulmen concitum ſuo cogitur motori parere, & mori potiùs, quàm morari, vt ſua morte ſplendidum oſtendat moriendo, quid poſſit. O' ſpectaculum Capitolio dignum, imò Cælo ſpectatore digniſſimum? Videre erat ſtrenuiſſimum Principem, cum Equite Vindocinenſi nepote, Patrui veſtigia generoſo greſſu premente, fortiſsima Gallorum agmina præire impauidum, præire feſtiuum, animo magis, quàm ferro cataphractum, pectore, voce, oculo, manu, pede ipſo pugnacem, eoque corporis habitu in Turcicas phalangas erumpere, quo vel Goffredus Lotharingus in Aſiæ Saracenos, vel Diuus Ludouicus Borbonius, quos ſibi materno, paternoque ſanguine iunctos ſibi imitandos obiecerat, in Africæ Mauros, Chriſtiano Marte pugnarunt. Suis ipſe viam per confertos hoſtium cuneos non oſtendit, at facit; non imperio, ſed exemplo ſuos vrget ad pugnam, & ad præſtantiſſima mortis diſcrimina, per ignes, & gladios vitam ſuam adducens, lanceam vibrat vt fulmen, terrore, fremitu, cædibus Othomanna Caſtra confundens; ſudore, & ſanguine pulcherrimè ſor-

dida-

didatus, nullibi mortem; ac si esset immortalis, agnoſcens, vſque eò Turcicas ſtationes aggreditur, & ingreditur, vt puluere, & fumo obuolutus ignotus omnibus eſſet, & hoſtibus, & ſuis; ſuis, qui eum præ fide, & amore non deſeruiſſent, hoſtibus, qui eum præ vultus maieſtate non læſiſſent; mors illum ſola, licet cæca cognouit, & vel irata Duci in contemptum mortis immortalitatem affectanti, vel vltura tot cædes, quibus eius imperium funeſtauerat, hoſtium numero eum obruens non vincens, magnanimam vitam ferro, & igne conſumpſit, vt vtrumque mortis genus tanti Principis funere decoraret. Vnà cum Romano Scipiade belli fulmen BELFORTIVM eſſe quis neget? nam fulminis inſtar, dum alios perdit, & cædit, cadit, & perit. Quot hic in vno facinore Heroicæ fortitudinis gradus! Erumpere, irrumpere, pugnare, vrgere, ſtare, cadere, mori, & moriendo gaudere?

Cecidiſti Heros bellicoſiſſime, & Principem animam ſub Crucis vexillo militantem Chriſtiano nomini fortiter, & fæliciter immolaſti. Defuit tibi quidem victoria; ſed Tu non defuiſti victoriæ, & Creticum ſolum, quod manu te-

nere non licuit ; toto corpore occupaſti , fidelis etiam Deo futurus poſt cineres Tuos. Non armis ; at trophæis obrutus iaces , & Rhodio Coloſſo ſimilis, miraculo es vel iacens ? An non miraculo ſit ; cui pro victoriâ pugna fuit, mors pro ludo , pro capite abſciſſo corona , pro pheretro Mundus , & Cælum pro ſepulchro ? An non miraculo ſit , qui adhuc exemplo pugnat extinctus, adhuc timetur in cinere , viuit in nomine , triumphat in famâ , mundique lachrymis ſua vulnera videt abſtergi ? Quis enim temperare à lachrymis valuit , vt BELFORTII Ducem audiuit extinctum , ac ſi in eius capite totius cardo victoriæ verteretur ? fleuere illum claſſes , exercitus , Principes , Senatus , Reges , & vnius funus publicam ferè lætitiam funerauit. Principes aulæ, ſanguine nobiliſsimi Ducis affines Gallica , Lotharinga , Eſtenſis , Medicea , Luſitana , Sabauda tanti vulneris acerbitatem ſenſerunt , & gelidos ſui BELFORTII cineres amantiſsimis lachrymis fouent. Quæ gloriæ immenſitas , Chriſtiani Orbis lachrymas in ſui funeris pompà traducere , ſuamque ad vrnam mundi cor eliquatum in fletus aſpicere ! Hæ ſanè lachrymæ pretioſæ adeò ſunt , vt ſi mori virtus ipſa poſſet non alijs

flen-

flenda lachrymis videretur. Morienti BELFORTIO quis non inuideat, cuius mortem Christianus Orbis redimere videtur, vel vlcisci lachrymis suis. Viden, vt Purpuræ ipsæ Romanæ decolori tristitià violatæ in publici partem doloris accedant, & in tam nubilà nocte, atrata veluti sydera, lucem, qua coronantur, abscondant? Viden, vt tota suis euulsa sedibus Roma, quæ mundi compendium est, sui numquam morituri doloris in hac funebri pompa breue compendium faciat, & in BELFORTII Simulachro oculos suos exhilaret, suas lachrymas consoletur? si fictili arte compositus tàm delectat exanimis imago, ipsamque animosus imaginem vrgere videtur ad pugnam, Pius in Crucis clypeo, fortis in dexteræ gladio, quid fecerit viuens, cum vegetos artus impleret spiritus, & totam se in puluere bellico BELFORTII virtus effunderet? Verùm quid ego Christianas hìc lachrymas BELFORTIÆ stipendiarias vrnæ centuriem? Ipse, ipse Barbarus, vt BELFORTII caput spectauit abscissum barbarum pectus tenerescere sensit, & feroces oculos, vberes flexisset in fletus, nisi sacrilega Turcis humanitas esset, & videri pium, animos impiaret. Quàm amabilis erat, quàm

He-

Heroica ea frontis maiestas, quæ hosti placeret etiam in hoste? Quin de tanti Ducis infortunio miratus, & iratus, cremandum flammis eum tradidit, qui belluinâ feritate excæcatus Regale Lilium secuit, vt papauer, & præmium bellicæ fortitudinis credidit, quod erat Turcicæ feritatis opprobrium. Magna virtus est, quæ spectatur ab hoste, maior quæ à barbaro; sed omnium maxima Tua BELFORTI, quam, & hostis, & Barbarus veneratur in Te mortuo. An non igitur meritò nobis lachrymandus, qui barbaros etiam oculos ferè cogit ad fletum, & Thraciam superbiam dolore vicit extinctus, quam priùs terrore percussit armatus? Vtinàm, vt Phænix è flammis, sic rediuiuus è lachrymis nostris assurgeret BELFORTIVS Phænix bellatorum, vt iterùm pugnantibus præsens publicam spem fæliciori spiritu animaret. Verùm, quià ex humanæ conditione substantiæ suo reuiuiscere prohibetur è cinere, debitâ virtuti mercede bellicoso reflorescit in nomine, obscuræque vitæ iacturam splendidæ æternitatis incremento compensat, non Lilia, sed Sydera gerens in Coronam. Iacet quidem Creticâ in arenâ BELFORTIVS, & vt olim euersâ Troiâ Rex

Pria-

Priamus. *Iacet ingens littore truncus, Auulſumque humeris caput*, at non *ſine nomine corpus*. BELFORTII Nomen publici amoris operà viuet in litteris, viuet in tabulis, in marmore, in ære, poſteris, exteris, omnibus viuet, & mori neſcium mortis iniurias vlciſcetur. Quamdiù Romanum Capitolium ſtabit, memorabitur BELFORTII virtus Capitolio digna, & Pyramidas alias Ægyptias firmitate pręcellet Sepulchralis hæc Pyramis, quam in arduo monte laboris impoſitam ingenium triumphatæ Mortis erexit, vt in apice gloriæ conſtitutus, ad Gallici iubar imperij ad Romani doloris ſolatium, ad Principum exemplum, ad Ducum exemplar, ad Turcarum opprobrium, ad Religionis triumphum æternùm ſpectetur ab omnibus

FRANCISCVS VINDOCINENSIS

BELFORTII Dux

PIVS ET FORTIS.

* * *

QUINTERNETTO
DI SCOSSA
Per l' Anno 1816.